

Denique igitur delectum corporum si habuerimus, atque omnem mixtorum turbam eiecerimus, retineamus verò sola illa, quorum omnia plana & æquilatera, & æquiangula fuerint: restabunt nobis hæc quinque Corpora Regularia, quibus Græci hæc ascripsere nomina, Cubus seu Hexaedrum, Pyramis, seu Tetraedrum, Dodecaedrum, Icosaedrum, Octaedrum. Quodque his quinque plura esse non possint, vide Euclid. lib. 13. post prop. 18. scholion.

Quare sicut horum definitus & exiguus admodum est numerus, cæterorum aut innumerabiles, aut infinitæ species: ita decuit in mundo duo esse stellarum genera, evidenti discrimine ab se inuicem distincta (cuiusmodi motus & quies est) quorum vnum genus infinito simile, vt fixæ, alterum angustum vt Planetæ. Non est huius loci disputare de causis, cur hæc moueantur, illa non. Sed posito, quòd Planetæ motu indiguerint, sequitur, vt hunc obtinerent, rotundos orbis accipere debuissent.

Habemus orbem propter motum, & corpora propter numerum & magnitudines: quid restat amplius, quin dicamus cum Platone, *Ἐὶ δὲ δὲ γεωμετρῆιν*, atque in hac mobilium fabrica corpora orbibus, & orbis corporibus inscripsisse tantisper, dum nullum amplius corpus restaret, quod non intrà & extrà mobilibus orbibus vestitum esset. Nam ex 13. 14. 15. 16. 17. libri 13. Euclidis videre est: quàm hæc corpora natura sua sint apta ad hanc inscriptionem & circumscriptionem. Quare si quinque corpora median- tibus & claudentibus orbibus, inserantur sibi mutuò: habebimus numerum sex orbium.

*Propositio.*

Quòd si aliqua mundi ætas hoc pacto de mundi dispositione disputauit, vt sex orbis poneret mobiles circa Solem immobilem: illa vtique veram Astronomiam tradidit. Atqui eiusmodi sex orbis habet Copernicus, eosq; binos in eiusmodi ad inuicem, proportionem: vt hæc quinque corpora omnia aptissimè interlocari possint: qua summa erit eorum qua sequuntur. Quare tantisper audiendus est, dum quis aut aptiores ad hæc Philosophemata protulerit hypotheses: aut docuerit, fortuitò in numeros atque in mentem hominis irreperere posse, quod optima ratione ex ipsis naturæ principijs deductum est. Nam quid admirabilius, quid ad persuadendum accommodatius dici aut fingi potest:

test: